



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

XII. Epiphanius Constantinopolim appellit, & Chrysostomum male habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A vinculis obiit, pars infulam Proconnesum deportatur post adventum Theophili, iudicum animis pecunia mollitis. Hæc ita à Palladio referuntur. Chrysoſtomus interim Origeniſtas conſiliis & auctoritate ſua iuvaſſe creditus eſt. Quocirca ſub Barnabæ nomine obſcure ab Hieronymo perſtringitur in Epist. 16. ad Principiam: *Refrigerata*, inquit, *charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem noſtro lateri iangebantur, quorum publice petebatur caput, contra quos apes omnes parabantur; ita ut Barnabas quoque duceretur in illam ſimulationem, imo apertum parricidium, quod non viribus, ſed voluntate commiſiſt.*

XII. Iamque fama percrebuerat male in Iohannem affectum eſſe Theophilum, & cauſas quarere quibus eum ſede deiiceret. Hoc intellecto concilium Conſtantinopoli cogi volunt optimates, & Clerici complures, quorum inimicitias Chryſoſtomus ſeveritate ſua ſibi pepererat. Futurum id pollicita iam ante Origeniſtis fuerat Eudoxia. Itaque Theophilus Ægyptios Episcopos eo conſeſtim navigare iubet; Antifiſites Orientis ad Concilium invitat. Nec multo poſt Cypro ſolvens Epiphanius Conſtantinopolim appellit. Obuiam progreſſus Iohannes totius Cleri comitatu advenientem honeſtavit, nec eo perpulſit tamen ut hoſpitio ſuo, vel domibus Eccleſiaſticis, vel ſua denique conſuetudine uti vellet: adeo inenſum Iohanni animum propter ſuſceptos Origeniſtas præ ſe ferebat. Statim Epiphanius ad ſe convocat Episcopos qui tum forte Conſtantinopoli verfabantur: decreta Synodorum proferet, quibus lectione Origenis omnibus interdiceretur; poſtulat ut ea ipſi quoque ſuffragiis ſuis confirmet. Paruerunt nonnulli, plures detrectaverunt. In his Theotimus Tomitanus Episcopus, ſpectatæ vir ſanctitatis, iniquum eſſe dixit, homini iam pridem mortuo injuriam inferre, & majorum de eo decreta reſcindere: quo dicto librum quemdam Origenis proferet, pelleſtiſque verſibus aliquot, quibus Eccleſiæ utiles ſententiæ continebantur: Intelligent, inquit, qui libros Origenis repudiant, hæc quoque à ſe repudiari. Nihilo tamen ſeciſus roganti Chryſoſtomo, ut una ſecum domo, & una Eccleſia uteretur, renuntiavit Epiphanius in domus & precum communionem cum illo ſeſe venturum, ita ſi libros Origenis damnare, & Origeniſtas Ægyptios à ſe rejicere vellet: quod cum ante diſceptationem cauſa facere recularer Iohannes, perſuaſus eſt Epiphanius à quibusdam Iohannis adverſariis, ut in Templum Apoſtolorum, quo celebranda erat Synaxis, publice prodiret, damnaret libros Origenis ac Origeniſtas, & Chryſoſtomum ipſum inceſſeret. Et feciſſet ſane, niſi iam Templo propinquum adieſſet Serapſon Diaconus à Iohanne miſſus, monuiſſetque periculo ipſius futurum, ſi quod animo deſtinaverat, reiſa præſtaret; ad ſeditionem quippe remi ſpectare. Admonitione deterritus Epiphanius pedem retulit.

XIII. Circa idem tempus hunc inter & Eudoxiam ſimultas intervenit: cauſam vario Scriptores narrant. Scribunt Leo Imperator, & Symeon Metaphraſtes Eudoxiam Auguſtam, inimico ut erat in Chryſoſtomum animo, ipſum hæreſeos apud Epiphanium accuſaſſe; poſtulaviſſe Epiphanium, ut cauſam dicturus Iohannes accerſeretur, ſe alioqui minime aſſenſurum; ad hæc exclamaſſe Auguſtam, ſi Iohannis exitium interpellet, ſeſe Idolorum cultum reſtituturam; quo audito dolore percuſſum Epiphanium ſuſis lacrymis Conſtantinopoli exceſſiſſe. At diverſa habet Sozomenus; in morbum incidiſſe Imperatoris filiolium; huius vitæ timentem Imperatricem rogaviſſe Epiphanium ut pro eo oraret; qui cum futurum recepiſſet, ut convaleſceret filius, ſi ab Origeniſtarum partibus illa deſciſceret, reſpondiſſe Auguſtam: In Dei poteſtate filius meus eſt; tu vero, Epiphani, ſi mortuos ad vitam revocare poſſes, neuiquam obiſſet tuus Archidiaconus: miſſos eodem tempore ab Eudoxia Origeniſtas ad Epiphanium quaſiſſe num aliquando in libros ſuos vel Diſcipulos incidiſſet; negante illo percontatos unde ſe Hæreticos deprehendiſſet, qui ſententiæ ſuæ nullum feciſſet periculum; huic ex auditu ſe intellexiſſe reſpondenti, ſubjeſſiſſe illos: Nobis vero contrarium evenit, nam ex diſcipulis tuis & libris, ac Ancorato præcipue tua nobis perſpecta ſententia nonnullos ſæpe reſutaviſſimus, qui hæreſeos calumniam tibi impingebant; parem itaque nobis vicem retribuere debueras: his intellectis placatum Epiphanium viros dimiſiſſe; & ipſum quoque paulo poſt navigaſſe in Cyprum, ſive Conſtantinopoli pœnituiſſet eum itineris, ſive Deus oraculo mortem inſtare monuiſſet. Ecquas diſcedendi cauſas habuerit, incertum eſt. Certe antequam attigiſſet Cyprum, in ipſa navi deceſſit, cum iam eſſet magno natu. Fato quoque circiter hoc tempus extincti ſunt Conſtantinopoli Iſidorus, & Dioſcorus, & paulo poſt Ammonius, magnam poſt obitum ſanctitatis famam conſecuti. Quo tempore annus agebatur 403.

XIV. Quid de hoc itinere, itineriſque cauſa literis tradiderit Polybius ipſius diſcipulus ac focius, ac rerum omnium oculatus teſtis, operæpretium eſt cognoscere. Scribit ille Theophilum Iohanni Chryſoſtomo inenſum ob communioni reſtitutos Longos fratres, cum Imperatricem mittere hunc in exilium velle accepiſſet, id ut perſiceretur ſummo opere laboraſſe; dediſſe itaque literas ad Epiphanium, quibus Origeniſmi Iohannem